



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Punct. I. Quid sit terminus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)



INTRODVCTIO AD LOGICAM:

SEV BREVIS
SVMMVLARVM SVMMMA.

P R O O E M I V M.



VITIA valdè & omninò necessaria esse ea, quæ in Sum-
mulis traduntur, nemo ibit inficias; dependet enim tota
arguendi forma, & vsus Syllogistica structura, ex præce-
ptis quæ in hac Introductione ad Dialecticam traduntur.
Verumtamen in his omnibus explicationem potius adhi-
bendam, quàm disputationem instituendam esse censeo:
pleraque enim sunt omnino certa, fixisque regulis definita:
quæ vix fallacibus argumentis possunt attrectari, tantùm abest vt efficacibus
rationibus concuti possint. Huiusmodi sunt præcepta, quæ traduntur circa De-
finitionem, & Diuisionem, & circa modos argumentandi, ex definitione, & di-
uisione vtriusque; eiusmodi sunt etiam præcepta tradenda circa Oppositionem,
Conuersionem, & Æquipollentiam propositionum; neque minùs fixa sunt præ-
cepta circa dispositionem terminorum in Syllogismo, & circa huius reductio-
nem per Ostensionem, & per Impossible, & vix vna, vel altera quæstio alicuius
momenti longâ disputatione digna reperitur. Ob hanc rationem omnia attin-
gam quæ hîc alij tractant, illâque quâ potuero claritate explicabo, ab illisque
me breuissimè expeditam; sunt enim omnia non omittenda, & vix vnum
latè disputandum.

CONTROVERSIA PRIMA.

De Natura & proprietatibus terminorum.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit terminus.

TERMINVS non est, quænam sint comprehenden-
da singularia sub ratione communi, quam in-
tendimus definire: quidam enim affirmant
copulam *est* & omnes dictiones in proposi-
tione positas, etiam voces significationis expertes termi-
nos esse dicendas. Alij voces nihil significantes à ter-
minorum ratione excludunt, & reliquas omnes admit-
tunt: alij copulam *est* terminum dici nolunt: alique tan-
tùm subiectum, & prædicatum rationem termini parti-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

cipare contendunt. Secundùm hos diuersos dicendi
modos in diuersas auctores distrahuntur sententias circa
termini definitionem, & illam quilibet architectatur,
quæ rectè quadret vocibus illis, quas ratione termini
gaudere defendit. Ego in hac re nihil inuenio, quod
quæstionem de nomine transiliat, neque principia repe-
rio apud auctores, quibus aliquid certò possit definiti,
qui enim asserunt dictiones omnes terminos dici, id sua-
dent, quia nomen *terminus* apud Dialecticos idem sonat
quod apud Grammaticos dictio, & quia notitia omnium
elementorum cuiusque facultatis, & instrumentorum,
quibus ipsa vitur terminorum notitiam appellamus. Illi
verò, qui affirmant tantùm subiectum, & prædicatum
terminos esse dicenda, id sibi persvadent, quia *terminus*

A

rei

rei est id, quo res terminatur, quod est idem ac extremum rei, copula autem non dicitur extremum, sed extremorum connexio.

Vtriusque sententiae ratio potuit inducere significationem huius vocis *terminus* secundum quamlibet ex praedictis acceptionibus; secundum quam vero sit accipienda non possum ex auctoribus colligere, aequali enim auctoritatis pondere omnium ferè sententias intueor. Ob hanc rationem ex Aristotele mihi definitionem termini desumam, ex qua inferam secundum quam acceptionem hæc vox *terminus* sit accipienda, terminique propriam essentiam explicabo. Philosophus 1. lib. priorum cap. 1. terminum ita definiuit: *Terminum voco in quem resolutur propositio, ut prædicatum, & de quo prædicatur, appositio vel separatio esse vel non esse*, quibus verbis non solum termini definitionem tradidit, verum etiam illam explicuit. Definitio termini his clauditur, *in quem resolutur propositio*. Pro cuius explicatione perpendendum est, in illa quodlibet totum resolui, ex quibus componitur: sicuti homo compositus ex corpore, & anima, in corpus, & animam resolutur, cum definit esse; & domus ex calce, lateribus, & lignis constructa in hac tanquam in prima elementa resolutur, cum illius deperditur constructio. Id ergo ex Aristotele terminus erit propositio, ex quo componitur propositio, & eam illa, quibus componitur, ipsius partes sint, partes propositionis erunt illius termini, idemque erit propositionis pars, & terminus propositionis.

Ex hoc infero copulam *est* terminum non esse, quia copula non est pars propositionis, sed nexus partium, sicuti visio materiae, & formae non dicitur pars totius naturalis, sed partium nexus. Id fradet explicatio definitionis ab ipso Aristotele tradita per illa verba, *ut prædicatum, & de quo prædicatur*, quibus exemplum adduxit termini, quem definierat in subiecto, & prædicato, id enim de quo aliquid prædicatur, aut dicitur, propositio est subiectum; & id, quod de alio dicitur, Prædicatum appellatur. Per ultima verba *appositio vel separatio esse, vel non esse*, significauit Aristoteles propositionem, cuius subiectum, & prædicatum termini dicuntur, posse esse affirmatiuum, in qua apponitur esse rei, quæ affirmatur, & separatur non esse eiusdem; vel negatiuum in qua apponitur non esse rei, quæ negatur, & separatur eiusdem esse.

Infero similiter voces nihil significantes posse esse terminos, quia possunt esse partes propositionis, illiusque subiectum, & prædicatum, in quæ propositio resoluitur, ut patet in hac propositione: *Blitiri est vox*, quæ est vera propositio constans duplici extremo, quorum vnum *Blitiri* est subiectum, & alterum *vox* est prædicatum, & vtrumque extremum propositionis, illiusque pars, ac proinde terminus. Nec refert *Blitiri* in hac propositione materialiter sumi, & nihil extra se significare, quia id, quod materialiter sumitur pro se ipso, potest sic materialiter sumptum, termini denominationem subire; & terminus non constituitur formaliter talis per hoc, quod est significare, sed per hoc quod est esse partem propositionis, seu id in quod propositio resolutur. Addo *Blitiri*, & quamlibet aliam vocem ex se nihil significantem appositam in propositione aliis vocibus cum quibus propositionem constituat, significatione non carere, sed quasi reflexè se ipsam significare, sicuti cognitio, quæ se ipsam representat, etiam si nullum aliud habeat obiectum, non diceretur nihil representare, sed se ipsam exprimere, & tanquam obiectum respicere.

Quod autem *Blitiri* in prædicta propositione positum se ipsum reflexè significet eadem proprietate, quæ vox *homo* in quacumque propositione posita significat animal rationale, sic proba. Eatenus voces significant res, quatenus substituantur loco conceptuum, qui naturaliter easdem res representant. Sed hæc vocalis propositio *Blitiri est vox*, substituitur loco conceptus, seu iudicii interni: ergo hæc vox *Blitiri* substituitur in prædicta propositione vocali, loco conceptus mentalis, quo ex vi iudicii interni illam cognosco tanquam subiectum propositionis: ergo se ipsam significat medio conceptu interno illam representante, loco cuius substituitur. Confirmatur: ideo in hac propositione vocali *homo currit*, vox *homo* significat animal rationale, quia substituitur loco conceptus inclusi in iudicio interno representantis animal rationale. Sed in hac propositione vocali *Blitiri est vox*, *Blitiri* substituitur loco conceptus interni inclusi in iudicio interno re-

presentantis ipsam vocem: ergo eadem ratione, quæ vox *homo* in illa propositione significat animal rationale, vox *Blitiri* in propositione ista significat se ipsam.

Neque ex hoc inferri eandem vocem *Blitiri* extra propositionem se ipsam significare, quia quoties quis profert vocem, cui homines significatum non dedere, non intendit illam substituere loco conceptus, ex vi cuius illam cognoscit: quando verò illam profert in hac propositione *Blitiri est vox*, aut in alia simili, intendit voces substituere loco iudicii interni, in quibus vox *Blitiri* respondet parti iudicii representantis ipsam vocem, si iudicium diuisibile est, vel toti iudicio quatenus talem vocem representat.

Reliquæ partes propositionis, demptâ copulâ *est*, vel sunt termini, vel affectiones terminorum, quæ se habent ex parte subiecti, aut prædicati; relatiua enim per modum vnius se habent cum illo, quod referunt, sicuti in hac propositione *Petrus qui loquitur est doctus*, relatiuum *qui* se habet per modum vnius cum Petro, & subiectum propositionis efficit, est enim idem dicere *Petrus qui loquitur*, ac dicere *Petrus loquens*; & sicut in hac propositione *Petrus loquens est doctus*, illud *loquens* simul cum substantiuo *Petrus* constituit vnum subiectum, sic in hac propositione *Petrus qui loquitur est doctus*, illud *qui loquitur* simul cum nomine *Petrus* vnum subiectum efficit. Casus obliqui semper se tenent ex parte subiecti, aut ex parte prædicati, sicuti in hac propositione *Rex Hispanie viuit*; illud *Hispanie* se tenet ex parte subiecti *Rex*, est enim idem dicere *Rex Hispanie*, ac *Rex Hispanus*; & in hac propositione *ego video Petrum*, quæ in hanc resolutur *ego sum videns Petrum*, illud *Petrum* simul cum *videns* constituit vnum prædicatum, quia in illa propositione non quæcumque visio mihi conuenire dicitur, sed visio terminata ad Petrum, quæ explicatur per illud obliquum *Petrum*. Aduerbia affectiones sunt prædicatorum, cum enim dicimus *Petrus currit velociter*, illud *velociter* significat modum cursus, qui Petro conuenire dicitur, idem enim est dicere *currit velociter*, ac dicere *Petrus currit cursu veloci*. Coniunctiones aliquando coniungunt partes subiecti & prædicati, & tunc se se habent ex parte illius extremi tanquam visio annexens illius partes illudque constituens, sicuti in hac propositione *Petrus & Ioannes sunt duo*, in qua coniunctum hoc *Petrus & Ioannes* indiuisibiliter sumptum constituit vnum subiectum; aliquando coniungunt propositiones, & tunc neque sunt subiectum, aut prædicatum, neque illorum affectiones, ut cum dicimus *Petrus loquitur, & Ioannes ambulat*, coniunctio *&*, neque pertinet ad subiectum, neque ad prædicatum prioris, aut posterioris propositionis. Præpositiones se habent ex parte casus obliqui quem regunt, sicut in hac propositione *Petrus est amatus à Deo*, præpositio *à*, se tenet ex parte obliqui *Deo*, non tamen sunt affectiones rei significatæ, neque per se aliquid significant, & improprie vel nullo modo ad subiectum, vel prædicatum pertinent. Participia sicuti alia quæcumque nomina subiectum, aut prædicatum dicuntur, dicimus enim *Petrus est amans*, in qua propositione participium *amans* prædicati rationem habet. Pronomina loco nominum substituantur, eademque ratione ac ipsa nomina subiecti, aut prædicati vices gerunt. Interiectiones propositionis partes non sunt neque ad aliquid affirmandum, vel negandum deferuntur, & ita rationem termini habere nequeunt.

Demum affirmo non ineptè ab aliquibus terminum definiri *extremum propositionis*, quia terminus idem sonat, ac extremum, & quia terminus conuertitur cum subiecto, & prædicato; & omne subiectum, & prædicatum, nihilque ab illo distinctum, aut non se habens per modum vnius cum ipso, rationem termini habet. Neque ad rem est puerilis obiectio, quæ adduci solet, videlicet in hac propositione *homo animal est*, copulam esse vltimum propositionis, ac proinde illius extremum, & consequenter terminum eiusdem; quia illud extremum non intelligendum est positione locali, in propositione enim mentali non est positio localis cum ordine prioris, & posterioris, sed officio, quæ ratione *animal* est extremum huius propositionis *homo animal est*, quæ eundem sensum reddit ac ista: *homo est animal*.

Obiicies primò: non rectè definiri terminum per propositionem, quia definitur ignotum per ignotius; ignotior enim est propositio, quam terminus. Respondeo, ad definitionem

definitionem termini, huiusque notitiam quidditativam non requiri notitiam quidditativam propositionis, sed confusam sufficere, quæ facilius potest acquiri, quam notitia termini quidditativa, sufficienter enim poterit quis terminum quidditativè cognoscere, si sciat propositionem esse orationem, quæ dicta possumus proferenti respondere, verum dicis, aut falsum dicis. Ex quo respondeo non definiri terminum per aliquid ignotius, quia notior est propositio cognitione confusa, quam terminus cognitione quidditativa, licet ignotior sit propositio cognitione quidditativa, quam terminus; quod nihil refert, quia terminus non definitur per propositionem quidditativè, sed tantum confusè cognoscendam.

Ultimò adverte ad cognoscendum prædicatum cuiusvis propositionis, quasdam dici propositiones de *tertio adiacente*, in quibus prædicatum extra copulam exprimitur, sicut in hac propositione *Petrus est albus*, in qua *albus* est illius prædicatum, alias dici de *secundo adiacente*, in quibus prædicatum intra copulam continetur ratione Participij inclusi, sicut in hac propositione *Petrus est*, in qua prædicatum est Participium inclusum in copula, idem enim est dicere *Petrus est*, ac dicere *Petrus est ens*, & idem sonat *Petrus currit*, ac *Petrus est currens*.

Obijciens secundo: Definitio termini assignata convenit propositioni, ergo non est bona cum aliis à definitio conveniat. Probatur Antecedens si resolvatur hac propositio *Petrus est albus* est propositio, alterum extremum in quod resolutio fiet, erit tota hac propositio *Petrus est albus*: ergo illi convenit definitio termini. Respondeo prædictam resolutionem tanquam in extremum in hoc complexum *Petrus est albus* non fieri formaliter quatenus est propositio affirmans Petrum esse album, sed quatenus est extremum componens propositionem illam, quæ in illud resolvitur. Ita definitio termini potest convenire propositioni non formaliter, quatenus est propositio, sed quatenus illi accidit esse extremum componens aliam propositionem à se distinctam.

Obijciens tertio: Eodè modo resolvitur propositio in copulam *est*, ac in subiectum, & prædicatum: ergo copula *est* habet rationem termini. Antecedens probatur: resoluta hac propositione *Petrus est albus*, Petrus non manet subiectum propositionis actus, sed tantum in potentia idem dicto de altero extremo. Sed copula *est* etiam manet in potentia, quia iterum copula adhibita potest dici *Petrus est albus*: ergo eodem modo resolvitur propositio in copulam ac in extrema. Respondent nonnulli facta resolutione propositionis, extrema, & copulam eodem modo in potentia permanere, & in ipsa fieri resolutionem, non tamen copulam esse terminum, quia non in illam tanquam in partem propositio resolvitur, sed tanquam in partium nexum. Terminum autem non esse id, in quod quomodocumque propositio resolvitur, sed in quod resolvitur propositio tanquam in partem, ob idque dixisse Aristotelem *terminum voco, in quem resolvitur propositio ut prædicatum, & de quo prædicatur*. Cæterum Philosophus prædictis verbis, ut prædicatum, & de quo prædicatur, non intendit assignare specialia elementa resolutionis, quæ præ alijs, in quæ fiat resolutio, habeant rationem termini, sed exemplum adducere termini, quem definierat præcedentibus verbis in subiecto & prædicato, quæ sunt adequata elementa, in quæ resolutio fit. Respondeo ergo, resoluta hac propositione *Petrus est albus* conceptum *Petrus* actu non esse subiectum, tamen secundum se actu permanere, quia rectè concipitur Petrus extra propositionem; copulam verò actu non permanere, neque adhuc secundum se, quia conceptus copulæ nunquam potest reperiri, nisi cum actuali copulæ exercitio actu annexens extrema, & propositionem constituens. Aptum habes exemplum in resolutione hominis, quæ facta, materia & forma, est actu non maneat partes compositi, tamen manent quoad entitatem, vñio verò omnino desinit esse, nullò modo manet, & ita rectè dicitur hominem resolui in materiam, & formam, non tamen dici potest resolui vñionem.

PUNCTVM SECVNDVM.

¶ Nonnulla divisiones terminorum.

Vñio dividitur terminus in Mentalem, Vocalem, & Scriptum, iuxta triplicem propositionem mentalem, *Fauc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.*

vocalem, & scriptum. Propositio mentalis est interna enunciatio vñio de alio, seu internum iudicium, quo indico hoc esse illud. Vocalis propositio sunt voces, quæ substituantur loco mentalis propositionis: & scripta propositio dicitur scriptura quæ eandem propositionem mentalem notam facimus. Iuxta hæc terminus vocalis appellabitur extremum vocalis propositionis, & terminus scriptus dicitur extremum propositionis scriptæ, terminusque propositionis mentalis erit extremum propositionis mentalis. Cæterum cum voces & scriptura propriè non sint enunciationes, seu propositiones, sed propositionum substituta, quod adhuc ex se non habent, sed ex libera hominum impositione, illorum extrema propriè termini non sunt, sed impropiè & extrinsecè desumpta de nominatione à terminis propositionis mentalis, loco quorum ex libera hominum impositione substituantur.

Extrema mentalis propositionis propriè terminos appellat communis sententia, quod apud me difficultate non vacat, quam iam aperio. Terminus propositionis est subiectum de quo aliquid dicitur, & prædicatum, quod dicitur de alio: sed in propositione mentali, quæ propriè est formalis propositio, nihil est quod de alio dicatur, quia in conceptu interno respondente his vocibus *Petrus est animal*, non est vna pars, quæ de alia prædicetur, quia interna propositio partes non habet, sed est simplex qualitas, ut ostendam Controuerf. 5. de anima, Punct. 2. & etiam si plures partes haberet, vna de alia non prædicetur, cum inter se essent distinctæ, neque ipsa propositio de se ipsa enunciat, sed tantum est enunciatio obiecti, in quo reperitur subiectum, de quo dicitur prædicatum; & prædicatum, quod de subiecto dicitur: Ergo propositio mentalis secundum se non includit intrinsecè subiectum, & prædicatum, sed ad hæc terminatur: ergo secundum se & intrinsecè non habet terminos. Duplex propositio distinguenda est, *formalis*, quæ propriè & strictè loquendo tantum est propositio obiectiva, quæ non est propriè, & rigorosè propositio, sed obiectum propositionis, & constituitur in esse propositionis obiectivæ tanquam per formam extrinsecam per propositionem formalem. Ex his propositio obiectiva in se continet subiectum & prædicatum constituta in esse talium per propositionem formalem, & ob hanc rationem existimo in se includere extrema, quæ propriè termini dicuntur, & terminos includere licet formaliter constitutos in ratione terminorum, sicuti in ratione subiecti, & prædicati per formalem propositionem. Itaque cum ego dico *Petrus est albus*, interna & formalis propositio in se non continet subiectum, & prædicatum, neque terminos, sed obiectiva, quæ dicit intrinsecè & in se Petrum extrinsecè constitutum in ratione subiecti, & in ratione termini per propositionem mentalem; & album, seu eundem Petrum quatenus album eodem modo extrinsecè constitutum per eandem formalem propositionem in ratione prædicati.

Difficilius explicatu est, an copula non tantum constituitur per propositionem formalem, tanquam per formam, sicuti constituitur subiectum, & prædicatum tenentia se ex parte obiecti, ex parte cuius copula etiam se teneat, sed an formaliter sit ipsa mentalis propositio, vel in illa formaliter includatur. Censeo ego propositionem ipsam formalem, non esse formam extrinsecam constituentem copulam se tenentem ex parte obiecti, sed esse ipsam formalem copulam annexentem intentionaliter & extrinsecè in ordine ad nostrum intellectum subiectum, & prædicatum, in quibus tantum reperitur nexus intentionalis, quem habent ratione enunciationis, cum physice sint eadem entitas, quæ secum ipsa nullam vñionem habet, sed est simplex entitas, eadem se cum non per identitatem superadditam, sed per se ipsam. Confirmatur eadem doctrina: Propositio formalis est forma constituens obiectum, quod respicit in ratione subiecti, & prædicati: ergo est formalis copula illorum. Probò consequentiam: Subiectum formaliter constituitur in ratione subiecti, & prædicatum in ratione prædicati per illud, ex vi cuius annexuntur tanquam duo extrema; sed annexuntur per copulam: ergo constituantur in ratione subiecti, & prædicati per copulam. Sed propositio mentalis est id, per quod annexuntur: Ergo propositio mentalis est illorum formalis copula.

Nota insuper propositionem mentalem, vocalem, & scriptam.